

A D L E C T O R E M .

rum. Hos velim scire, me non esse in rigidis illis Peripateticis, qui scripta oratorum & poetarum ab usu Logices planè excludunt, valde profectò ineptè, si quid judicare possum. Cùm enim illi observarint artificium Logicum pro ratione circumstantiarum, utique illud & ostendi potest, & utiliter observatur. Sed hoc ego hîc non disputo, sed illud: an in Logicâ generali, ubi spectatur ἀρχή, illa exempla possint habere locum? In parte speciali, ubi usus præceptorum ostenditur, hæc talia exempla proponi debent, non in generali. Ad hæc si quempiam offendet, quòd Logicam facio artem non solum intellectus, sed etiam memoriæ: illum jubebo expendere pro trita ista dicta: ordo est memoriæ mater; τὰ δὲ τὰ δὲ μνημόνδα; intelligentia bona facit bonam reminiscenciam; eadem sunt media intelligendi, & intellecta servandi in memoriâ. Sed ut extremum aliquod habeat mea præfatio, publicè protestor, me bono animo emitte- re hoc quidquid est institutionis Logicæ, ideoque bonos obtestor, ut eodem animo accipiant. Dedi chirographum ingenii humani, hoc est, rerum omnium ignari in hâc humanâ caligine, Logicâ hâc in publicum scriptâ. Æquum igitur fuerit, ut ii, qui ejusdem imbecillitatis & naturâ sunt filii, & alumni institutione, mihi ignoscant, si forte lapsus sum judicio, si falsus animi, qui sæpe umbram captat pro re ipsâ, more canis Æsopici, & seipso homines esse agnoscant. Summa: Cum hominibus mihi res est, non cum angelis, neque etiam cum τεισανθρώποις, hoc est, iis, qui in dicendo & scribendo gloriam captant. Hos enim Diogenes Cy-